

40
D. H. S.
SPECIMEN ACADEMICUM

De
DEMONSTRATIONE

EXISTENTIÆ

Et

ATTRIBUTORUM
DEI A POSTERIORI

Sive ex

OPERIBUS in REGNO NATURÆ:

Quod

Adnuente ampl. Fac. Phil. in Reg. Acad. Aboens.

sub PRÆSIDIO

Viri Maxime Reverendi atque Celeberrimi

D^N. JOHANNIS
BROWALLII,

S. S. Theol. Doct. ac Scient. Nat. Prof. Reg. & Ord.

Bonorum candido submittit examini

JOHANNES ELENIUS

BOREA-FENNO

Die XVIII. Junii Anno MDCCXLV.

Loco horisque solitis.

ABOË, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Ac. Typ.

S:æ R:æ
MAGNÆ FI.

Reverendisimo Pa-

D_N. JONÆ

S. S. Theologiæ *DOCTORI* longe famigeratissimo,
Regiæ, quæ ibidem est, Academiæ *PROCANCELLARIO*
ecclesiastici *PRÆSIDI* gravissimo, Scholarum
MÆCENATI

RECTORI MAGNIFICO

D_n. HENRICO HASSEL,

Eloqu. *PROFESSORI* Regio & Ordinario, longe cele-
berrimo, *MÆCENATI* & *PROMOTORI* ut optimo, ita
summa animi devotione æternum colendo,

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo

D_n. JOHANNI WALLENIO,

S. S. Theol. *DOCTORI* & *PROFESSORI* Primario
Ecclesiæ Fenn. Aboëns. *ANTISITTI* gravissimo,

MÆCENATI & *PATRONO* magno,

Hoc Specimen Academicum quatecunque, ob sum-
mum terrorem cum voto calidissimo, pro *TANTIORUM MÆ*

Cultor & cli

JOHANNES

M. t. s.

DEI VIRO

tri ac Domino

FAHLENIO,

inclitæ diœceſeos Aboëniſis *EPISCOPO* eminentiſſimo,
magnificentiſſimo, ſumme venerandi Conſistorii
per totam diœceſin *EPHORO* adcuratiſſimo,

MAXUMO,

VIRO Ampliſſimo atque Celeberrimo

Dn. ALGOTHO A. SCARIN,

Hift. & Phil. Civil. *PROFESSORI* Reg. & Ord. *MÆ-*
CENATI & PATRONO ſumma animi veneratione ad
cineres uſque proſequendo,

VIRO Maxime Reverendo atque Ampliſſimo

Dn. GREGORIO STEENMAN,

L. L. O. O. *PROFESSORI* Reg. & Ord. Eccleſ. Pæ-
marenſis *PASTORI* vigilantiffimo,

MÆCENATI & PATRONO propenſiffimo,

num erga ſe favorem, in ſignum venerationis nunquam in-
CENATIUM incolumitate perpetua, qua par eſt, offert pietate

ens devotiſſimus

ELENIUS.

VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo
Dn. Mag. MATTHIÆ HALLENIO,
S. Theol. in Academia Aboëasi, *ADJUNCTO* dexter-
rime, *PASTORI* in *Lunds & Brunkala* vigilantissi-
mo, Patrono & *Evergeta* optimo,

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo
Dn. ANDREÆ FORSELIO,
PASTORI in *Christina Savolaxia* vigilantissimo, *Fau-*
sori & Benefactori pie suscipiendo,

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo
Dn. OLAVO LIND,
Mysteriorum divinorum inter Holmentes *DISPENSA-*
TORI laudatissimo, *Fausori & Benefactori* pie observando,

Beneficia Vestra, Patroni, Fautores & Be-
svadent, ut incomtum impolitumque huncce
simul spem meam tenuem valae & afflictam,
venerabunda mente commendem. Recipite itaque
munus, ut devoti & grati animi documentum, me

N. N.

Cultor in-
JOHANNES

VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo

Dn. ISAACO ROSS,

Venerandæ Facultatis Theologicæ Aboënsis *ADJUN-
CTO* dexterrimo. *PASTORI* in *Nädendal*, *Reso* & *Me-
rimasko* vigilantissimo *Patrōno* & *Energeta* ut optimo,
ita ad cineres usque devenerando,

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo

Dn. GUSTAVO PACCHALENIO,

PASTORI in *Masko*, *Rusko* & *Wachio* dignissimo
Fautori & *Benefactori* exoptatissimo,

VIRO Multum Reverendo atque Doctissimo

Dn. GREGORIO CHRYSSELIO,
COMMUNISTRO in *Paattis* vigilantissimo, *Fautori* & *Ami-
co* honoratissimo, certissimo,

*nefactores optimi, longe plurima in me collata
ingenii mei fœtum Vobis sacrum faciam, atque
inter ardentissima pro Vestra incolmutate suspiria,
Patrōni & Fautores benignissimi, levissimum hoc
que favore Vestro, ut ante, ita posthac amplectimini.*

V. V.

desessus

ELENIUS.

Erono Befallningsmannen öfwer Pälis Härad
Edle och Wälbetrodde
Herr JACOB HEDMAN,

Erono Befallningsmannen öfwer Mäsko Härad
Edle och Wälberodde
Herr GUSTAF LYDEMAN,

Rådsmannen i WBO Edel och Högaktad
Herr ESAIAS WECHTER,

Handelsmännarne i WBO
Ehreborne och Högwärdade
Herr JOACHIM WITTFORTH, och
Herr JACOB BREMER,

Förnämte Wälgnnare /

Wil man med sundt förnuft besinna
I det som är til båd' smått och stort;
Så kan man af naturen finna
En Gud är til / som all ting giordt;
Som alt at wara har befalt /
Och som än uppehåller alt.

Ut Gud ären/ den allmakt äger /
Allwisshet / godhet / ewighet /
Natursens öpnä bok ofz läger ;
Hwar läsare thet witna wet :
Så framt han ej är acheist ;
Ell' har i hiernan någon brist.

Ett sådant ämne finnes drifwit
I thessa blad / som jag framter ;
Men/ wårde Herrar / hwad jag skrifwit
Min wördnad nu tillägnar Er :
En gäfwä gunstigt tagen an /
Som mot Er gunst ej swara kan.


Er gunst then Högste sielf beldne!
Ledfage Er hans milda hand!
Med ära han Er sidst befröne
I ewighetens sälla land!
Så önskar och så beder jag;
Samt lesiwet til min sidsta dag

Minne Förnäme Wälghynnades

Hörsammaste tienare/
JO. ELENIUS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



INTRODUCTIO.

Dividi quidem communiter solet notitia
DEI naturalis in *insitam* & *adquisitam*;
De natura autem ac indole notitiæ in-
sitæ haud levis est dissensus; quidam enim e-
andem per idealem DEI representationem expli-
cant; alii actu, alii potentia propinqua intelle-
ctui inesse dicunt; alii *τελειωσιν* quandam habi-
tui analogam loquuntur, sive aptitudinem &
proclivitatem menti humanæ connatam, qua,
postquam adolevit intellectus, & termini per-
spiciuntur, ad communes de DEO notiones, ut
veras, amplectendas singulari instinctu rapitur;
aliis deum sufficere videtur, quod vocent
notitiam insitam lucem intellectus connatam,
qua veritas communium de DEO notionum
per-

perspicitur. Neque simul vel pauci sunt vel
 obscuri nominis Philotophi, qui notitiam hanc
 insitam prorsus impugnant. Nos vero contro-
 versias has, utpote quæ a seculo nostro remo-
 tiores sunt, nostras inpraesentiarum non facien-
 tes, id saltem omnibus constare arbitramur,
 mentem humanam, quamprimum ad seipsam
 attenderit, intima sui conscientia convinci,
 quod ens sit dependens; atque inde, citra o-
 mnem rerum externarum sensum ac contem-
 plationem, naturali necessitate fluere notionem,
 correlati seu entis independentis; Quod cum
 DEUM audiverit vocari, mox affirmat DEUM
 esse. Ut autem hoc insitum lumen, seu hic
 sub favilla latens igniculus, inflammaretur, posuit
 nos providum Numen in theatro hoc munda-
 no, opera sua sancta admiratione dignissima
 nobis ob oculos sistens, ut per diligentem co-
 rum contemplationem, ex effectibus ad cau-
 sam primam argumentantes, solidiori existentiae
 & attributorum ejus cognitione imbuamur, e-
 umque agnoscamus & tanquam verum DE-
 UM colamus. Quæ, ex operum, videlicet, di-
 vinorum consideratione enata, DEI cognitio,
acquisita dicitur; dum mens humana & pro-
 pri-

prius suum excurit, & infinitam extra se rerum varietatem, atque in varietate illa nexum & harmoniam, ac proinde sapientiam summam considerat, & a singulis ad auctorem DEUM se elevari ac duci patitur. Congruit autem, hæc ipsa sapiens varietas adeo cum natura animæ nostræ, ut mirifice eandem delectet & alluciat, simulque singula sensatio, quælibet ad rem quamlibet attentio novum ei sistat miraculum, novo argumento de Creatore convincat, nova accessione ideam ejus perficiat. Nostri jam est instituti, pro ingenii tenuitate, DEO Duce, ostendere, quomodo homo in hoc mundo, tanta rerum sapientissime ordinarum multitudinem instructo, collocatus, existentiam & attributa DEI ex operibus apte possit demonstrare. Solent argumenta pro existentia DEI & possunt dividi in *metaphysica*, *moralia*, *historica* & *physica*. Non vacat singulorum robur & concludendi rationem excurrere; id tantum in honorem argumentorum physicorum dixisse sufficiat, multum, respectu vivacitatis in convictione, interesse, dum argumento subtili, abstracto & metaphysico existentiam DEI evincere

4
studes, aut dum in natura DEUM quasi sensibus obvium, audiendum, videndum, palpandum præbes. Tuum interim erit C.L. dum hanc a natura ad DEUM argumentandi viam caleo, ea, qua es humanitate & æquanimitate, omnia benigne interpretari, & eorum, quæ minus exacte exposita sunt, facilem Te præbere Censorem.

§. I.

6
Mundum hunc nostrum, hanc rerum innumerabilium seriem & compagem non decet rationalem mundi incolam obiter & perfunctorie considerare. Non decet nos habere globum hunc terraqueum pro domo nostra, cælum pro tecto aut tentorio, solem & stellas pro candelis & absque ulla ulteriori ad eadem reflexione mentis vitam ducere. Propius considerandum hoc nostrum domicilium est. Videmus terram nostram, at quantæ molis corpus in aëre bullulæ ad instar volitare; superbit eadem infinita rerum varietate; ut elementorum miram subtilitatem & in subtilitate differentem naturam, partesque globum ipsum constituentes taceam, vestitur illa infinitis plantis,
qua-

quarum pars sanis esca, alix agris medicamen-
 tum, alix vestimenta præbent; ædificiis alix con-
 struendis & utensilibus fabricandis aptæ sunt;
 alix saltem igni alendo conducunt. Ha-
 bitatur eadem plurimis animalium specie-
 bus, quarum singulæ non tantum (id quod
 cum plantis commune habent) mirabili structu-
 ra & organismo insignes sunt, sed peculiari
 quoque gaudent indole, vitæ genere, indu-
 stria. Si vero ad cœlum, superbuni illud &
 vastum-tentorium oculos attollimus, hæc ter-
 ra, quæ nostri respectu cognitu infinita est, ad
 illud relata, vix aliter ac punctum considerari
 potest. Corpora cœlestia, quæ innumerabilia se
 nobis ibidem videnda præbent, quo attentius
 consideramus, sive quoad constantes singulo-
 rum movendi vices, sive quoad reliqua phœ-
 nomena, eo miramur impensius. Perstringit
 vero maxime oculos nostros sol, cujus beni-
 gnum adeo experimur influxum; hic, toties li-
 cet major globò nostro, in vastis adeo spatii
 situs est, ut eorum respectu non sit nisi ato-
 mus lucens. Hæc autem & reliqua infinita na-
 turæ stupenda opera de magnitudine Auctoris
 testantur & sui contemplatorem ad eum recta
 ducunt via.

ETenim ne minimum quidem ac vilissimum
 tugurium sine artifice produsse aliquis un-
 quam asseruit? quis itaque adeo esset impu-
 dens & delirus, ut tanti artificii compagem
 fortuito cuidam atomorum concursui originem
 debere statueret? Possuntne concipi ENNII
 annales (a) aut VIRGILII ÆNEIDOS libri
 fortuita characterum alphabeti commixtione or-
 ti, & fortuna cœca versus hi, magnos eventus
 mira varietate & harmonia describentes, coaluisse
 in unum? Quis egregiam picturam contemplatus,
 mappæ formationem, colorum mixtionem &
 gradationem, lucis & umbræ aptam varia-
 tem fato potius adscriberet, quam periti arti-
 ficis manum agnosceret? Audito concentu
 musico, nonne mox colligimus instrumentum ad-
 esse affabre factum quod periti artificis manu
 tangitur? At eodem, imo infinito majori, ju-
 re ab universi hujus existentia & pulcherrimo
 rerum ordine ad maximum & sapientissimum
 auctorem concludimus. Sed erunt nobis philoso-
 phico rigore ex indole communi hujus univer-
 si
 (a) Cic. Lib. 2. de nat. Deor.

si ad existentiam Numinis subducendæ ratio-
 nes. Mundus hic revera nunc existens aut exi-
 stit a se ipso necessario, aut ab ente aliquo a-
 lio a se diverso originem derivat suam; sed a
 se necessario existere nequit hic mundus; nam
 si possumus sine ullo contradictionis periculo il-
 lum supponere non existisse, aut saltem alio
 modo existere potuisse, ac jam existere eum
 videmus, & rationem sufficientem, cur hoc &
 non alio modo existat, in eo non deprehen-
 dimus, tum utique necessario a se existere ne-
 quit; Mundi vero hujus sive materiam, qua
 talem, sive formam cum motu & dispositione
 partium si consideraverimus; quicquid in illo
 est, tum totum tum partes singulas, disposi-
 tionem, motum, formam & materiam ipsam
 res esse plane arbitrarias, ab absoluta necessi-
 tate remotissimas videmus; numerus & motus
 corporum cœlestium in sua natura nullam ha-
 bent necessitatem; Planetarum numerus & ma-
 gnitudo minor aut major potuisset esse. Invi-
 ctissimum hinc argumentum mundum hunc esse con-
 tingentem, hoc est, talem, qui alio atq; alio mo-
 do potest esse, potest esse & non esse. Ea jam
 cum

9
cum sit universi conditio, ut a se & sua natura
necessario & independenter existere nequeat,
ac suam contingentiam, hoc est, possibilitatem
existendi & non existendi, hoc vel alio modo
existendi, simulque dependentiam spectatoribus
apertissime prostituat, non potest non inde qui-
vis, cui sanum est cerebrum, facili colligere
negotio dari ens ab entibus mundi aliud, quod
sui ipsius & aliorum entium in se habet ratio-
nem; alioquin mundus hic, quæque in eo sunt res,
nunquam exsistissent; sed mansisset semper æternum
nihil (b). Mundus vero hic cum existat, &
quidem contingenter existat, neque rationem
sux existentix sufficientem in se habeat, patet,
existere ens absolute necessarium, a se existens,
in quo ratio sufficiens hujus mundi continetur;
& illud ipsum ens majestico nomine DEUS
nuncupatur.

§. III.

EX mundi hujus contemplatione varia sibi
construxerunt philosophi argumenta pro Nu-
minis existentia. Nonnulli ex ordine hujus u-
niversi ad ordinantem, alii a causis secundis
ad
(b) *Nieuwent. im Erkântnis Gottes &c. p. 36.*

ad primam, alii ex gubernatione universi ad
gubernatorem, plurimi ex contingentia mundi
ad ens necessarium solent colligere; quam ulti-
mam & nos in precedenti §. sequuti sumus ar-
gumentandi rationem. Aliqui ex ortu & de-
terminatione motus argumentum construunt, vel
ex historia gentium omnium consensum, terra-
rum & artium inventionem in partes vocant.
Multi ex homine ipso conscientiae dictamen, &
mirum corporis animique connubium testimonii
loco adducunt. Alii rursus per tria naturæ re-
gna & collegia corporum eundo infinitam col-
legere pro existentia Numinis argumentorum
segetem. Scholastici ipsi, in quorum lu-
to aliquid reperitur auri, non abtunc fuerunt
philosophati, dum triplici via posse perveniri
ad Numinis cognitionem asseruere; Est vero
I:a earum *via causalitatis*, qua ex effectis, ut
pote admirabili rerum ordine & gubernatione,
ad supremam & primam causam adurgimus.
II:a *via eminentia*, quatenus perfectiones o-
mnes, quæ in creaturis deprehenduntur, in
Creatore, vel formaliter, vel eminenter, gradu
longe nobiliori præexistere oportet. III:a *via*

10
negationis, qua omnes rerum creatarum imperfectiones a creatore removemus, eique oppositam perfectionem attribuimus. Observare tamen de triplici hac via convenit, quod primâ solâ existentia Numinis evinci possit; reliquæ autem binæ essentiam & attributa ejus sistant.

§. IV.

Quod porro ad essentiam DEI attinet defini illa solet ita: Essentia DEI est, qua ejus existentia est simpliciter & absolute necessaria (c). Est autem hic quidem generalis & verus conceptus, minus tamen quam maxime; quid enim sit DEUS rite explicare, id fatemur ingenue captum humanum superare; neque enim ejus possibile est adquirere adæquatam ideam, quod tamen ne minimum quidem existentia ejusdem certitudinem jam demonstratam debilitat: nosse enim quidpiam existere, & ejusdem essentiam penitus cognoscere diversissima sunt; unum demonstrari potest evidenter, licet alterum omnem transcendat captum. Quid? quod rerum creatarum &
no.

(c) Baumist. *Metaph.* §. 783.

nobis maxime familiarium essentia vel substantia nos maxime lateat, etiamsi alioqui putemus illas nobis abunde esse cognititas; nulla est plantula vel animalculum, quantumvis vile, quin perspicacissima etiam ingenia percellat & confundat; similiter essentiam & corporis in genere & spiritus, adeoque nostri ipsius ignoramus; Si itaque rerum creatarum essentia aciem mentis nostræ, in obscuritatis abyssu positæ, fugit; quid mirum, si immentam & invisibilem DEI essentiam mente metiri finita est negatum. Quamvis vero essentia DEI ideâ adæquatâ homini plane sit incomprehensibilis, attributa tamen ejus juxta cum existentia demonstrabilia sunt. Attributa DEI vocamus conceptus illos inadæquatos, quos de essentia divina nobis formamus, quique essentiam divinam ex parte involvunt. Studio attributa DEI, quatenus in idea nostra spectantur, inadæquatos esse conceptus diximus, quia totam essentiam DEI, ob infinitam ejus perfectionem, non exprimunt. Hec attributa DEI ab essentia divina realiter non distinguuntur: quicquid enim in DEO est, illud est ipse DEUS; Secundum no-

strum vero concipiendi modum differunt attributa DEI. Cum enim mens nostra suis, at quam arctis! circumscripta limitibus divinitatem simul semelque sive uno obtutu comprehendere nequeat, patet, cur cogitatione nostra essentiam ab attributis & attributa iterum a se invicem distingvamus. Quodnam attributorum vero primo loco sit ponendum, nos anxie disquirere a proposito alienum judicamus, perspicuitati tantum litantes.

§. V.

Quomodo aternitas & independentia DEI ex contemplatione hujus univérſi demonstretur, patet ex §. II. Nos hic ulterius ex finitate creaturarum ad infinitatem Creatoris argumentari pergitur; quæ ipsa infinitas Creatoris talis esse debet, ut non solum absolute careat terminis, sed insuper sit sine diversitate, defectu & interruptione quacunque, ut distinctissime opponatur modo existendi rerum, finitarum, quæ non nisi in uno loco semel adesse possent. Modus, quo DEUS potest esse infinitus, nos quidem latet, neque hanc possibilitatem magis explicare valeamus, quam infi-

ni-

13

nitatis adæquatam nobis ideam formare. Nihilominus DEUM esse infinitum ex ipsa finitate creaturarum deducitur; quippe quæ nonnisi in infinito rationem sufficientem existentiae suæ habere possunt.

§. VI.

HAud majori difficultate a mundo materiali, composito & mutabili ad DEUM simplicissimum & immutabilem, partium, figuræ, motus, divisibilitatis &c. expertem argumentando assurgimus. Hæ enim proprietates finitatem involvunt, & cum infinitate consistere nequeunt. Omne compositum & mutabile dissolutioni & mutationi est obnoxium; At DEUS sive essentia divina omnem plane mutationem & dissolutionem respuit; Hinc etiam Unitatem essentiae divinæ demonstrare cuilibetIANO est primum. DEUS sicut omnis multitudinis est expertus, ita non potest non esse unus sive unicus, idque necessario. Quod multum est, absolute perfectum dici nequit (a). Sicut plures æternitates & infinitates, abstractivè consideratas concipere est absurdum & impos-

sibi.

(a) Budd. Phil. Theoret. 370.

sibile, ita plura entia a se necessario existentia, æterna & infinita ponere contradictionem involvit. *Unus itaque nobis DEUS est, a quo omnia & nos in ipsum (e).* Quod etiam multi saniorum gentilium de unitate DEI fuerint convicti, patet ex hujusmodi dictis: *Unum profecto Numen, unus est DEUS. (f) Unicus est per se existens, qui cuncta creavit, (g).*

§. VII.

Mundi hujus machinam & quidem corporum cœlestium multitudinem & stupendæ vastitatis molem dum intuemur; item, quomodo ista singula simul cum tellure nostra ex nihilo pure negativo produxit venerabile Numen, & per tot annos quodlibet illorum in suo esse conservavit, etiamnumque conservat & sustentat, obstupescentes in admirationem infinitæ Numinis potentæ excitamur; Huic potentæ omnes res existentiam cum motu & viribus acceptam referunt suam, imo ab ea usq; & usq; dependent. Infinita hæc Numinis vir-

(e) 1. Cor. VIII.

(f) Soph.

(g) Just. M. in Orat. ad gentes, Tom. I, p. 55.

15

tus ad omnia se extendit possibilis, quippe
quæ omnibus possibilibus potest essentiam & mo-
tum largiri: Ad ea vero, quæ contradictionem
implicant, haudquaquam extendi intelligimus.

§. VIII.

Porro si perpendimus, quomodo DEUS o-
mnia ubique sustentat, curat, fovet &
gubernat, videmus DEUM ubique præsentem
esse. *Creatura existentiam propria virtute con-
tinuare sive tueri nequit: Sed DEUS, quam
in principio dedit creature existentiam, eandem
quoque dare pergit, quamdiu durat, ita ut
nullum detur momentum, quo creatura carere
queat Creatore suo (h) Quid? quod actio crea-
tionis & conservationis in DEO non differant;
sed conservatio continuata est creatio (i). Est
DEUS in omni loco totus, singulorum indivi-
duorum paternam plane ubique simul genit cu-
ram. Patet itaque DEUM esse omnipræsen-
tem.*

§. IX.

Contingentia hujus universi testatur DEUM
esse ens liberum & pro lætæ arbitrio
agen-

(h) Wolf. Theol. Nat. Tom. II. §. 831.

(i) ibid. §. 832.

14
agentem; omnia quippe in mundo obvia plane apparent quam maxime arbitraria, & esse penitus non necessitatis sed sapientiae & arbitrii effecta manifestissima, ita pulchre disposita non nisi a liberrimo & sapientissimo agente. **A**tributum omnium consummatissimum & praestantissimum est libertas, adeoque in DEUM, seu ens omnium perfectissimum, quam maxime quadrat.

§. X.

AD varietatem iterum, ordinem, pulchritudinem, admirabilem omnium harmoniam & aptitudinem ad suos fines, oculorum vertentes aciem, sapientiae infinitae certissima atque mira videmus documenta: Sapientia DEI definiri solet per scientiam inveniendi media aptissima, quibus finis optimus obtineri potest. Quo magis inquiritur in rerum naturam experimentis, quo magis observationibus & reflexionibus datur opera, imo, quo mundus labentibus seculis, ut aetate ita & experientia & scientia, fit provecior; eo magis sapientiae divinae excellentia elucescit. Si M. TULLIUS CICERO ex cognitione Astronomiae manca satis & imperfecta deducere potuit cor-

po;

pora cœlestia mora esse & disposita a mente aliqua intelligentissima, adeo ut non dubitaret dicere, eos, qui contrarium affirmarent, vercordes esse & ineptos. Ceterum admirabilem, inquam, ordinem, incredibilemque constantiam, ex qua conservatio & salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expertus habendus est. Quid, quæro, dixisset, si novissima in Astronomia detecta, inventa, DEI sapientiam mirandum in modum illustrantia, cognovisset? Citemus modo immensam mundi magnitudinem, qui tanto mundum, tum temporis cognitum, facile superat, quanto mundus ipse secundum ipsorum systema superabat sphaeram ARCHIMEDIS; Exquisitas & constantes planetarum & ipsorum quoque cometarum vias in suis motibus, stationibus, accelerationibus, retardationibus, retrogradationibus &c. sine ulla deviatione irregulari, mutuoque impedimento, sed cū maxima harmonia, mutuoq; adjumento: & sola profecto, ad quam hic oculus intendimus, gravitatio universalis & mutua corporum cœlestium, interprete maximo NEWTONO, infinito plura stetit nobis in cœlo mi-

C

ran-

randa, quam ulla cogitatione aut suspitione
 assequi potuit prisca ætas; ut gravitatis corpo-
 rum terrestrium genuinam rationem & usum
 taceamus; incredibilem elegantissimamque pla-
 netarum motus ad usus incolarum accommo-
 dationem; multum profecto fuisset, si vel so-
 lam motus terræ, aliorumque planetarum ratio-
 nem cum axeos inclinatione & parallelismo, ejusq;
 commodis intellexissent, nec ad explicationem mo-
 tus communis inconditam totius cœli circumro-
 tationem ponere coacti fuissent CICERONIA-
 NI xvi Astronomi. Imo vel unica planetarum
 a sole distantia infinitam pulchrius jam decla-
 rat Creatoris sapientiam, quam tota antiqui-
 or Astronomia. Audiamus NEWTONUM:
Planetarum, inquit ille, densitates fere sunt,
ut radices diametrorum apparentium. Collocavit
igitur planetas DEUS in diversis distantis a sole,
ut quilibet, pro gradu densitatis, calore solis majore
vel minore fruatur; princip. lib. 3. prop. 8.
 Ita ut planetæ soli viciniore nequequam a
 nimio calore, neque alii, qui ab eo sunt re-
 motiores, a nimio frigore patiantur injurias;
 sed unusquisque tanta temperatura ad suos u-
 sus gaudeat, quanta ipsam terram ad nostros
 usus gaudere experimur. §. XI.

§. XI.

Muadus est speculum summæ bonitatis divinx, quippe qui bonitate DEI undiquaque ad nos redundante plenus est. Summe bonus est & dicitur ille, qui tantum boni creaturis communicat, quantum possibile est; atqui DEUS tantum boni singulis creaturarum communicat, quantum possibile est, ergo DEUS est summæ bonus. Infinitis bonitatis divinx documentis repletum est regnum naturæ; singulis e. g. speciebus vegetabilium & animalium tantum perfectionis datum est, quantum per essentiam recipere potuerunt; singulis necessaria ad conservationem sui instrumenta & ad bene esse adjumenta pro rata tributa sunt; consideres modo vitæ sphæram vel vilissimi insecti. Regna naturæ sibi invicem intervium; elementa omnibus. Quod ad hominem autem, cujus amplior sphæra & dominium est, infinitis modis ipsi prospexit & prospicit Creator; penè eidem naturæ tradidit, quod quotannis redimplet; nec quidquam deest, quo ad summum, cujus capax est, felicitatis gradum ascendere possit; cum nihil in omnibus ipsi obvenerit, quod eundem non sponte ad summum bonum ducat.

EX hisce breviter dictis speramus manifestis-
 sinum esse, quod optime existentia DEI
 & attributa ex operibus ejus demonstrentur. Est
 profecto systema mundanum invisibilium DEI
 aperitissimus testis & præco; quicumque machi-
 nam universi, quoad omnium in eo partium
 varietatem, distinctionem, ordinem, pulchritu-
 dinem, harmoniam & sapientem gubernationem
 intime & perquisite contemplatur, inque cau-
 sam tantæ & tam magnificæ structuræ, absoluta
 existendi necessitate destituta, inquit, non
 potest non cum CICERONE fateri: *Quid po-
 test esse tam apertum, tamque perspicuum, cum
 cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus,
 quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis,
 quo hæc regantur?* (k) Documenta & indicia,
 quæ de seiplo, sua existentia & perfectionibus
 edidit DEUS, tot sunt, atque ita palpabilia
 & omnibus obvia, in constitutione, ordine,
 pulchritudine & harmonia diversarum partium
 universi; in structura quoque nostrorum corpo-
 rum, nec non in mirabilibus animæ potens
 tiis


(k) de nat. Deor. lib. II. Cap. I.

tiis atque facultatibus; ut nullus, quantumvis mediocri capacitate intellectus & viribus ingenii dotatus, qui vel perfunctorie & in transitu appulerit animum ad considerandam rationem & naturam rerum, possit ignorare DEUM, quin quoque prorsus sit inexculabilis. Hinc præclare dicit LACTANTIUS: *Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cuius DEL Providentia regatur hoc omne, quod cernitur, aliquem tamen esse intelligat, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione, nec posse fieri, quin id, quod mirabili constat ratione, consilio majori aliquo sit instructum.*

Quo autem quis majore cum adcuracione & judicio opera divina contemplatus fuerit atque cognoverit, eo etiam plus ideam suam de summo ente perficit, & ad majorem gradum perfectionis evahit; idem enim hic obtinet, quod in consideratione operis alicujus artificis; quo enim quis illud melius cognoscit, eo adcuratius auctori suum statueret pretium potest, eo distinctius virtutes ejus cognoscit. Quod vero
cre-

creatura rationalis in bivio quasi & confinio regni spiritualis & materialis sit posita, ut gloriam divinam, in rerum natura obviam, sensuum ope cum ratione colligat, patentissimo corde complectatur, Deo T. O. M. reddendam, nemo dubitabit, qui fines divinos ex natura rerum colligere didicit; homo igitur, qui ipsa necessitate in naturam inquirere tenetur, simul ex intentione Creatoris & munere, quo fruitur, rationalis & liberi ad idem faciendum, DEUMq; in operibus cognoscendum, laudandum, glorificandum quam artificissime obligatus est.

S. D. G.



Pereximio atque prestantissimo
Dⁿ JOHANNI ELENIO,
Amico singulari,

Q*ue via vel methodus actur, quâ rite po-*
tentem

Natura possint pandere regna DEUM;

Eleniana docent docto conamina scripto,

Quæ probat assensu, Pallas amica, suo.

Det meritis Auctor natura & Rector olympi

Pramia, quæ Phœbus non pereunda parat.

Non ut voluit sed ut potuit raptim scripsit

JOHANNES PALIN.

40
Prestado a los señores
DA JOHANNI ELENIO,
A sus hijos,

Q
ue sea el contenido de esta, que se
contiene
en esta parte de la cuenta de
El nombre de los señores ELENIO,
Que se da a esta, Talles y otros, no.
De donde se debe saber que el
Prestado, que se da a los señores

no se debe al de los señores ELENIO
JOHANNI ELENIO